

ZS 231

Koekhoven

7/ferm
87

CRIMINATIONUM AB ILLUSTRISSIMO

C. J. M. BOTTEMANNE,

EPISCOPO HARLEMENSI

CONTRA

F. KOEKHOVEN,

SACERDOTEM,

Romam delatarum certa enumeratio,
brevisque refutatio.

L I T T E R Æ



AD


Eminentiam suam, Sacræ Congregationis Propagandæ Fidei

Cardinalem, Praefectum

Eminentissimum Dominum

LEDOCHOWSKI.





25 231

~~VERBODEN~~

Algemene Provincie Kataloog
Minderbroedersklooster
Alverna Gld

MONASTERII AD MOSAM, hac 19 Januarii 1894.

Eminentissime Domine.

Infrascriptus ego, dioceseos Harlemensis — in Hollandia — sacerdos, propositi tenax, iterum ad Eminentiam Vestram recurrere audeo, ut, quod mei juris sit, assequar.

Si Sanctissimus Papa noster, LEO XIII opportune, importune de injuriis Sibi illatis queratur, despoliationem ostendat et ad commiserendum et collaborandum, ut restituatur, omnes invitet: ego, qui non a sæculari potestate — quæ, si mihi licitum esset ad eam confugere, me erigeret atque protegeret — sed ab Illustissimo meo Episcopo, C. J. M. BOTTEMANNE sum defraudatus et ab omnibus sine causa spoliatus, libere ad Eum propero, Quem Papa Noster posuit ut congruenter ecclesiam, conservetque inculpate Hierarchiam etiam Neerlandicam.

Sic agens sancti prosequor vestigia Andreae Avellini, „qui disciplinæ negligentiam advertens, plenus zelo, „non solum confratres sed etiam superiores suos admonerebat.

„Si attinet ad luculentos abusos et disciplinæ languorem neque superbia neque temeritas est sed virtus et zelus pro gloria Dei se opponere et inconcinnitatem impedire, etiamsi cum superioribus exinde „discordia exoriretur.”

(Ita St. Alphonsus in opusculo: Vera Christi Sponsa.)

His principiis innixus, sciens præterea ex scriptura sacra quomodo oporteat esse Episcopum et expertus, quomodo mecum egerit Episcopus meus atque agere perseveret, omni quo potui studio sum conatus ut ablata restituantur, atque scandalum, meæ personæ, familiæ diocesique meæ mea damnatione illatum reparetur.

Hierarchiam, quæ dicitur anno 1853 restituta, in veram tyrannidem video conversam!



Nam, nonne est tyrannis perfecta, si accusator et iudex una eademque sit persona, ita ut accusatus tacere debeat ac omnia sibi adscribi tolerare, quibus criminibus accusator et iudex eum obruere voluerit?

Nonne tyrannis est completa si accusator simul iudex publice puniat, publice calumniatur publiceque sæviat dum accusatus non interrogetur neque audiat et postea cum per 8 menses in quarta pœnæ statione se habeat et restitutionem quærens se defendere conetur atque ad Romam appellanti respondeatur: „tu Episcopo inverecondus es.”

Re vera tribunal Judaicum — Sanhedrin — perfectum est æstimandum tribunali Harlemensi comparatum. Ibi enim erant Iudices, hic unicus tantum est iudex de cujus morositate omnia dependent.

Ibi formalitates quædam observabantur; hic tantum dicitur: „Tu es fur, Judas, hypocrita et ab infantia nequam; sub mortali veto te dicere Missam in diocesi mea.” (27 Aprilis 1886).

Ne temere sic judicare videar juvat hic verba referre, quæ Sanctus Papa Symmachus, iisdem telis — mendaciis ac calumniis — quibus ego sum oppressus, sauciatus, Anastasio Imperatori respondit.

„Injurias tuas dissimulare — sic aſt, Sanctus „Papa — nequeo neque mea neque tua causa; mihi „sunt honorabiliores, te autem faciunt nimis culpabilem coram Deo. De Domino ipso dictum est, quod „obsessus fuerit a dæmone, quod fuerit potator etc. „Num tu æstimares me de iis debere tristari? Nonne „leges et divinæ et humanæ jubent quamque rem duobus vel tribus testibus esse probandam? *Jam judicium hominum publicum ostendit accusationes tuas esse falsas!*

„Quomodo coram Dei tribunali tu stabis? Num „cogitas iudicium illud, quia sis Imperator, non venturum? De cetero, num decet Imperatorem accusatorem esse? *Estne possibile juxta leges divinas et humanas, quod eadem persona sit accusator et iudex?*”

— Wensing-Chantrel tom. V, pag. 22, 23. —

In hac opinione confirmor tertii nocturni lectionibus, relectu dignissimis, in festo St. Isidori — 4 Aprilis — in quibus virtutes atque officia Episcopi enumerantur.

Ibi enim legimus: „Cujus — Episcopi — præ cæ-
 „teris speciale officium est cum fratribus
 „pacem habere, nec ququam de membris suis discer-
 „pere, nullum damnare nisi comprobatum, nullum excom-
 „municare nisi discussum.” — Lectio VIII. —

Itaque cum vexatio Illustrissimi Præsulis in me ét
 scripturæ sacre ét legibus ecclesiæ, ecclesiæque menti,
 quæ nobis breviarium recitantibus tam sæpe inculca-
 tur, ét — ut ait Reiffenstuell — bene cultarum
 gentium legibus omnimode sit contraria, tam multoties
 examine instituendo frustra depreccato, Romam veni,
 sperans fore ut, Audientia acquisita, remedia statue-
 rentur, quibus conditioni, in qua injuste, ab Illustris-
 simo Ejuscopo sum positus, finis imponeretur.

Roma adeptus sum, quod tam ardentè quasivi!

Nam, licet Eminentia Vestra tunc temporis, quemi-
 nus me reciperet, laboribus esset impedita, tamen in
 benignitate tua, Tu, Eminentissime Domine, ut Illu-
 strissimus sacre Congregationis Secretarius — Sciala —
 et pl. Rev. Subsecretarius litteras mei Episcopi contra
 me Romam delatas scrutarent curare es dignatus.

Fausti Audientiæ dies sunt indicti 10 et 11 Maji,
 in quibus, octo fere annis præterlapsis, primum coram
 iudicibus stare mihi erat indultum.

Perspectis Præsulis criminationibus, mihi inflictis,
 pl. Rev. Subsecretarius vehementer in me invehitur;
 at, viso documento, cui de industria falsum diei da-
 tum est inscriptum, ut reponsum dare evitaret Episco-
 pus, ac visis litteris suæ Eminentię. Simeoni f. m. 14 Maji
 1888 ad me missis, tonum mutat, dicitque; ad Archiepis-
 copum rem esse deferendam! Ecce, Eminentissime Do-
 mine, consilium quod semper solumque desideraveram!

Altera die Illustrissimus Secretarius easdem crimi-
 nationes Episcopi reiterat, præscribitque, ut dum Illu-
 strissimus Archiepiscopus Ultrajectensis Romæ adhuc
 morabatur, ad Archiepiscopum appellarem, qui — sic
 agebat — „appellationem recipere debet.” Quodsi — sic
 pergebat — „Archiepiscopi decisio tibi non placeat, tunc
 ad sanctam Sedem tibi est appellandum.” „Ad quæ ego:
 „Nequaquam, Illustrissime Domine; si sapientissimus
 „atque prudentissimus Archiepiscopus rem meam trac-
 „tare velit, Vobis molestus amplius non ero, sed
 „Illius solutionibus acquiescere potero.”

Romæ ad Archiepiscopum appellavi die 12 Maji.

Domum reversus accusationes Præsulis Illustrissimo Archiepiscopo notificavi de quibus examen erat instituendum, judiciumque ferendum.

Sed eheu! quod incredibile mihi videbatur, apertis verbis declarabatur: „Consultis viris idoneis. — sic rescripsit Archipræsul — negotium tuum tale videtur. cui me immiscere prohibeor idque eo definitius, quia causa tua jamdudum a Roma est recognita!”

Quam dura atque improvisa hæc verba sint, me oportet credere Archiepiscopum; mihi forte fas non est hujus resolutionis rationes inquirere; stabilire tamen hic volo: nobilior atque honoratior est Archiepiscopus quam ut dimicet, atque luctetur cum in sede Harle-
mensi suo Successore!

Verumtamen tali modo causa mea non ad finem exoptatum progreditur.

Propterea Cum in patria hac jus adipisci non possim, Eminentie Vestrae causam dicere moveor, exinde et Illustrissimo Præsuli meo et mihi ipsi non nisi eventum bonum providens.

Quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, cum certitudine *et* ab Illustrissimo Secretario *et* a pl. Rev. Subsecretario percepi quænam sint criminationes ab Illustrissimo Episcopo meo contra me Romam delatæ.

Illæ huc redeunt:

- I. Arripui chirographa ecclesie et pauperum, ergo, quia fur, e parochia eram destituendus.
- II. Arripui illa clavi adulterina adjutus.
- III. Factum hoc in tota diocesi innotuit, præsertim Amstelodami.
- IV. Multa millia florenorum Episcopus adducere debuit, *ut* debita, speculatione orta, delerentur.
- V. Contentus esse debeo, quia statione honorabili me donavit Episcopus.

Ecce, Eminentissime Domine, criminationes atque puncta, quæ in litteris ab Episcopo Romam missis contra me contenta esse comperi.

Scripta manent. Apud ecclesiam Matricem Romanam sicut fur aut latro haberi nolens, nunc, cum examen institui denegetur, meum est objurgationibus objectisque illis respondere, hoc solum ductus scopo, ut jus et

justitia ecclesie Romanæ vigere incipiant etiam in diocesi Harlemensi. Id enim omnes, tam clerus, quam laici exoptare debent.

Providentia Divina ad hoc tentandum me destinasse videtur. Quapropter attestazione hac sancti Pauli præmissa: „ecce coram Deo, quia non mentior” incipio ad.

I.

Arripui chirographa ecclesie et pauperum, et quia fur, dimittendus eram.

Vera loquatur historia.

Aedituus quidam, Sely nomine, vir optime meritis de ecclesia in loco de Krommenie, mihi parcho pluries proposuit facere, sicut fecisse dicebat quemdam parochum: scilicet, chirographa ecclesie in prolongationem dare eo fine, ut debita ecclesie = fl. 4000 citius solvi possint, quo casu pauperes, ex quibus major constat parochie pars, tributo hebdomedario solvendo exonerentur.

Cum Sely iste ante 40 annos aedituus crearetur, vetus ecclesia in loco de Krommeniedijk fl. 11000 erat onerata. Ope et industria sua nova ecclesia in loco de Krommenie erat ædificata, quæ anno 1878 fl. 4000 tantum erat gravata. Gloria sua esset moriens posse dicere: ecclesiam ab omni onere esse liberatam. Tali viro resistere non potui, et ideo convenimus, quodsi operatio hæc bene acciderit, ecclesie prodesset, si autem male, nobis solum non ecclesie esset imputanda. Elegimus virum probum, bonæ famæ catholicum et in re pecuniaria versatum: factorem Meyer Cie. Huic scopum patefecimus, et se provisurum ut in bonam partem res se verteret pollicitus est.

Cum post duos annos chirographa illa ecclesie non sufficerent ad prolongationem, in suum locum destinatum sunt reposita et loco illorum chirographa pauperum, quæ erant majora, sunt tradita in prolongationem.

Quomodo autem id sit factum, sub N. II est explicandum.

Postremis diebus Novembris anni 1885 spargebatur, quod ille factor Meyer solvendi esset incapax omniaque perdidisset. Quod num verum esset ut agnoscerem, adii ad Canonicum quemdam, cui negotium

meum partim patefeci quique mihi dixit: se rumorem illum credere. Deinde me steti aute factorem Meyer, qui chirographa illa in tuto esse collocata affirmavit. Postea veni ad Curatorem, qui ~~mihi~~ ^{mihi} consuluit adire ad Episcopum, „qui — sic agebat — non puniet sed in omnibus providebit” „Non” replicabam: „Si Episcopus meus esset Hujus Antecessor, libentissime id facerem; nunc autem, expertus quod non sim persona grata, id facere non audeo. Tunc mihi proposuit se id facturum, casumque meum Episcopo dicturum, cum nil esset timendum.

Casu narrato, Presul occasionem sumpsit me apud se invitandi. Veni, et tunc sine ulla interrogatione vel explicatione rei declaratum est: me esse furem bonorum ecclesiae et pauperum; inhabilem me esse ad munere pastoralis diutius fungendum; intra 14 dies litteras demissorias querendas. Quodsi id facerem, honorem meum servarem; si enim in claustro Achellensi me absconderem vel Missionarius fierem, omnes cogitarent me id facere ex zelo pro gloria Dei. Si vero litteras illas non quererem, omnibus publicaret Ordinarius me esse furem bonorum ecclesiae et pauperum.!!!

Eminentissime Dominine, adhucne necessarium est plura de capite hoc scribere? Casus hic non aliter definiri potest nisi: est nobis solum (Sely et mihi) imputabilis et secreta transpositio rei alienae, ut fructificet ecclesiae, dum furtum unanimiter nominatur: „injusta ablatio rei alienae, invito domino.”

Sed quæri potest: quodnam vel quale peccatum perpetravimus? De illicite speulationis ne verbum quidem in Seminario audivimus, ut optime Episcopo, olim in re morali professori meo notum est. Equidem exspecto laudem præmiumque a Deo! Quanam fabrica ecclesiae, quinam parochiani non gauderent si parochus et ædificiis suis sumptibus contentus ecclesiam ab omni onere liberare?

Sic etiam intellexit Ordinarius; quare, causam volens habere ut a parochia me dimitteret, Romæ, totique mundo declaravit: F. KOEKHOVEN, chirographa arripens bonorum ecclesiae et pauperum est fur!!!

Pari modo omnis superior tyrannus personam sibi ingratam sulphureum quid accendere videns concludere

potest: ad patibulum te condemno, quia non solum domum meam sed totum mundum combussisti vel saltem, ut comburatur mundus, tentasti!

I I.

Arripui ea chirographa clavi adulterina adjutus.

Quia contra facta non est ratiocinandum rursus historia præmittatur.

Me, sine ulla interrogatione vel explicatione rei die 22 Decembris 1885 damnatum ad claustrum Achelense, postquam nullis quasi verbis — quia loqui erat interdictum — indicaveram me immiscuisse operationi in favorem ecclesie, interrogavit Præsul: quænam media ut chirographa illa acquireret, adhibuisti? Latus, quia complicem notare potui, respondi: Sely, adituus clavem tribuit. Tunc statim conclusit Episcopus: „ergo, clavi adulterina es usus; uti dixi: quare litteras dimissorias; nisi autem id facias, publice dicam: „te esse usum clavi adulterina.”

Num autem recta sit conclusio illa, ex sequentibus judicari potest.

Quoniam quisque bonus est æstimandus, donec contrarium probetur, Sely non rogavi, quomodo in possessionem illius clavis venisset. Iste, qui ante institutam Hierarchiam per multos annos provisor pauperum fuerat, verosimiliter clavem retinuit. Nomine multorum, qui Sely Cognoverunt mihi injuria est vindicanda, quæ forte Sely nomini conclusione illa injicitur! Non erat talis, qui id perpetrare posset!

Sed suspicio fortasse cadit in me. „Qualiscunque enim quisque intus est, taliter judicat exterius.”

Sciat autem, qui me suspiceret, in me ne tentationem quidem oriri potuisse, quia recta clavis per quinque certe annos, justissimis de causis, omnibus probandis, sub me erat.

Propter clavem illam dictam adulterinam damnatus sum die 22 Decembris 1885, et rectam clavem tradidi die 31 Decembris 1885 secretario pauperum Administrationis, qui de tali facto atque consilio maxime doluit et ut eam retinere precatus est.

Sic, Eminentissime Domine, scripsit ille Romam anno 1888, idque verum esse juramento confirmare semper paratus est.

Quapropter Canonicus ille, cui clavem illam dictam adulterinam, Episcopo tradendam, transtuli, de modo quo id factum est, valde est miratus, ita ut, cum 5 Augusti 1889 me quererem, quod multi forte crederent me esse usum clavi adulterina, ille responderit: „qui dicit te fuisse usum clavi adulterina, ad me mitte, et ego melius illum instruam.”

Ut patet, me de clavi illa mentionem facere Episcopo non erat opus; feci tamen ut, si culpa esset in transponendo illa chirographa in prolongationem, quam gravissimam finxit Episcopus, culpam minuerem.

Quidquid sit hac de re, St. Alphonsus, ut videtur, omne solvit dubium, si adhuc dubium exstare potest.

Quærit St. Doctor: in quibus casibus illicitum sit conjugii divortium facere ab altero in adulterium lapso? Respondit inter alia: „Si conjux sine culpa formali adulteretur, puta ob errorem inculpabilem.”

(Neuraguet, tractatus de Matrimonio Quæstio 10. pag 705.)

Illicitum ergo est quod puniatur conjux materialiter adulter. At, nonne *illicitum* esset adulterii notam injicere atque punire propter clavem rectam, vel propter clavem, quæ *ad summum dubie materialiter tantum est adulterina* ?!

III.

Factum meum in tota diocesi innotuit, præsertim Amstelodami.

Ecce, Eminentissime Domine, causam ad me puniendum impellentem. Non ergo est furtum neque modus, quo furtum hoc sit patratum, sed notitia hujus facti, qua Episcopus ad puniendum obligatum se sentit.

Verumtamen, si re vera sim fur, jus ecclesiasticum requirit ut amovear atque puniar, nec quid aliud volo, nisi ut leges ecclesiæ in me impleantur.

Denuo penas sustinere libenter volo, quas leges ecclesiæ in furem etsi. Statuerunt!

Non quero gratiam, sed jus et justiam!

Hic autem inquirendum: 1) notitia illa unde venerit. 2) qualis fuerit.

1). Certum est quod plurimi testes, tam sacerdotes, quam laici possunt confirmare, Illustrissimum Episcopum ipsum ét per se divulgasse ét alios divulgaturos

jussisse me esse furem, usum fuisse clavi adulterina, et ceteras jam nominatas supra criminationes.

2). Nusquam vero in tentamine ullo Episcopum tam esse frustratum credo. Nam die 22 Decembris 1885 damnatus sum ad claustrum; die 5 Januarii 1886 publicatum est, quis meus esset successor in loco de Krommenie, et, licet fama crescat eundo, principaliter in prioribus diebus, novis fortioribusque volans alis: die 15 Januarii 1886 tam in ephemeride Catholica Harlem: si — *Haarlemsche courant* — quam in ephemeride Catholica Ultrajectensi — *Centrum* — inter nova Curiosum hoc est annuntiatum: „Illustrissimus C. J. M. BOTTEMANNE Episcopus Harlemensis parochum creavit in Vogelensang F. KOEKHOVEN, loco pl. Red. Th. Borret,” etc.

Antea, sed etiam 30 Julii 1892 Praesul mihi narravit factum meum — sicut narratum iri vellet — Amstelodami esse divulgatum a domino Curatore in negotio Meyer.

Rogavi Curatorem num verum esset, quod de eo diceretur; et ille, in cuius ore mendacium non est rescripsit: se intellexisse sibi, etiamsi crimen illud mihi imputatum, verum esset, esse tacendum. Quas litteras statim ad Praesulem transmisi.

Veruntamen casu quo re vera factum meum omnibus coloribus esset divulgatum, certissime Episcopi erat et nunc etiam est omnibus viribus rumori illi se obijcere necnon contradicere.

Qui enim voluntarie domum incendit, non solum debet incendium illud extinguere sed etiam totum damnum illatum reparare.

Ita juxta omnes, ait St. Alphonsus.

I V.

Multa millia florenorum Episcopus adducere debuit, ut debita, speculatione orta, delerentur.

Stricte loquendo ad quidquid sit solvendum non eram obligatus, ut mihi dixit Advocatus qui adhuc assertionem hanc reiterare potest.

Quidquid autem sit de nulla obligatione juridica, libenter ad fl 6000 solvendum teneri volo. Demonstrare enim possum me non plura perdere potuisse.

Illi vero factores — Meyer Cie — necessitudine abutentes, scripserunt me debere *f* 16500! Nemo de hoc mirari potest, qui cladem atque scandalum Causæ Gallicorum — Panamæ — atque Romanorum — della Banca Romana — anno præterlapso facta, novit.

O, quot mala, quæ æque ac mihi multis familiis tunc acciderunt, præcavere potuissem si non exulare debuissim! Quod enim dicti illi factores pessime atque injustissime egerint, omnibus in confessum venit.

Frater meus dilectissimus, parochus Alphensis, libentissime, ne scandalose in claustrum Achellense mitterer, se obtulit ad omnia mihi imputata debita solvenda.

Ego autem restiti, quia solvere, idque multo plus justo ac simul puniri contradictionem involvere videbatur. Solvit tamen, ut sic demulceret Episcopum, qui fore ut iudicium suum ne in claustrum mitterer, redhiberet exinde speravit.

Ut adduceretur curavit frater *f*l. 9000 quæ summa cum activis, quæ mihi superfuerunt totalem summam *f*l. 11000 circiter effecit.

Si forte ut plura solvantur esset necesse, frater ad id paratum se declaravit.

Hic laudanda est Præsulis justitia; qui Præsul speculationem suam vel operationem non ut se ditaret inceptat sed ut me dimitteret.

Hic queri potest: vnde cetera millia venerunt, quia a *f*l. 11000, quæ solvimus, usque ad *f*l. 16500, quæ debita imputabantur, magna est distantia, grandisque hiatus?

Sciat, qui quærat, divitem quemdam — cujus nomen me non fallit — sponte Episcopo se obtulisse ut reliqua millia solveret. Sic Episcopus ipse particulari cuidam narravit, quamquam publice me multa millia diocesi constitisse spargebat.

Attamen supervacaneum erat illa millia solvere quia jamjam *f*l. 5000 justo plura tribueramus.

Hac vera esse sequi videtur ex litteris, jam 3 Januarii 1886 ab Episcopo mihi scriptis, in quibus legitur: „*Non opus est ut supellex tua vendatur, quia frater tuus Alphensis in iis providet.*”

Attentionem Vestram, Eminentissime Domine, figere liceat hisce litteris.

Die 3 Januarii 1886 scripsit, ut supra memoratum est; et non nisi cum jam per 8 menses in quarta pœna statione me habuissem, mense Augusti 1887 simul cum jam pertractatis criminationibus Roman scripsit Ordinarius: se multa millia florenorum adducere debuisse, ut debita mea, speculatione orta, delerentur!!!

V.

**Contentum esse me oportet, quia statione
honorabili me donavit Episcopus.**

Sufficiant, Eminentissime Domine, pauca hæc.

Die 14 Maji 1888 ab Eminentissimo Domino Simone f. m. reprehensione accepta, nec non jussus me in integrum restituere, Episcopus, nunc angustatus, se incolumem reddere tentat; quapropter, mutata terminologia, quod prius pœnam vocavit, et ab omnibus sanctæ mentis tanquam non parvi ponderis pœna aestimatur, nunc non amplius pœna est, sed honor et statio honorabilis!

Ut multa, quæ de hoc sophismate afferre possim omittam: modus hic se defendendi non alius videtur nisi ille Italianorum sive Garribaldinorum. Hi enim cum St. Petri patrimonium arripuissent, Beatissimumque Papam Vaticano inclusissent etiam conclamarunt: „Contentus esse debet Papa: nunc enim a regno liber est: quiete ultimum vitæ diem expectare potest; nos Illius loco optime administrabimus!”

Miror vero de mei Præsculis assertionis indulgentia: neque eam explicare possum nisi ex eo, quod Curatores sive Provisores Hierarchiæ Neerlandicæ talia sophismata audire sint consueti.

Pœnam talionis constituit — Sanctus Damasus — iis, qui alterum falsi criminis accusassent.

(Lectio VI in festo St. Damasi, 11 Decembris.)

Ex hisce verbis mentem discimus sententiamque sanctæ Matris ecclesiæ, per St. Damasum loquentis.

Conclusio ex expositis et refutatis facienda, difficilis esse non videtur.

Quo magis negotium meum inspicitur, eo magis elucescit verum esse, quod ab initio dicebatur:

Non est nisi comedia Illustrissimi Episcopi.

Equidem ab exordio aestimabam Episcopum divina Providentia, Cujus auctoritatem gerit, ad sic faciendum duci, ut me probaret.

Deinde Ejus sevitiā atque duritiem experiēti mihi in mentem venit Eum insanire.

Postremo, cum die 4 Julii 1886 litteris ejus ad me missis *de industria* falsum diei datum impressum vidissem, luculentissime mala ejus fides apparuit.

Nunc autem, Eminentissime Domine, num leges ecclesiae etiam in diocesi hac vigeant nescio; non omnes imprimis, quae ad clericorum jura spectant esse in vigore, diutius quam per 8 annos sum expertus.

Quodsi tamen lex illa Sancti Damasi usque nunc applicatur: Eminentissime Domine, id enixe rogo humiliterque supplico: *ne illam adplicare digneris Illustrissimo meo Episcopo!* Ego scio quid sit esse infamis atque ab omnibus privatus.!

Pœnis atque in clerum vexationibus superabundat superfluitque diocesis tota! Quid erit, si Episcopus in pœnis Sibi infligendis omnes punitos antecellat!

Quod autem certe scio hoc est: Decalogi praecepta omnibus et in toto orbe esse implenda.

Quae mihi jocose, comice contra Septimum et Octavum Decalogi praeceptum sunt adempta, haec sola requiro. His enim restitutis, felix divesque satis ero! Non tamen parvi momenti ut mihi satisfiat, esse videtur. Tunc enim, neque prius, juxta theologiam rectam, Illustrissimus Episcopus sancta sancte atque licite tractare potest. Tunc solum, licet hac in terra abjectissimus fuisset Ejus servus, sperare possum fore, ut saltem in caelo ad me loquatur: jam non dico te servum, sed amicum! Proprie loquendo, hisce litteris non tam meam salutem sed et temporalem et aeternam Praesulis mei procurare intendo. „Non enim dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum.”

Nullus est qui majorem me laetitiam majusque gaudium Illi praebuerit neque ullus qui, ut in aeternum salvetur plus me laboraverit!

Vestrum est, Eminentissime Domine, quum Illustrissimus Archiepiscopus sit prohibitus, ut magnanimitas atque generositas a Praesule exerceatur curare, causae nostrae finiatur.

Optimis manibus causa mea est tradita, quia nemo sciat sicut Tu, quid sit injuste puniri. Iterum liceat mihi, in honorem illius exsili, quod Tu in Christi gloriam es perpersus, repetere quod Joseph, carceri immissus, pincernae regis Aegypti dixit: (GEN. XL, 14. 15.)

„Tantum memento mei, cum bene Tibi fuerit, et facias mecum misericordiam ut suggeras Pharaoni „(Papae) ut educat me de isto carcere, quia furto sublatum sum et hic innocens in lacum missus sum.”

Meae saluti salus mei Praesulis concordabit!

Alterum quod occasione hujus apologiae quaerere mihi licere videtur hoc est: ut Eminentia Vestra tribunal ecclesiasticum erigere dignetur, quo constituto solummodo vera Hierarchia existere dici potest. Recta ratio statui, qui in diocesi hac viget, contradicere debet. Etenim, num quis sit doctissimus vel stupidissimus, optimus vel pessimus gratus vel abjectus ab Unius nutu nugisque non a qualitate personarum pendet.

Quamvis errare sit humanum, *Si Unicus ille regens sit neurasthenicus*, retractare nescit.

Si extitisset tribunal hoc, calamitas mea haec — ut de tot casibus taceam — mihi non subvenisset, regetque in posterum consilia atque decisiones major prudentia.

Quodsi historia hujus mei casus hoc efficere posset, satis essem remuneratus; tunc enim diocesis respirabit nec dubito, quin, licet usque nunc infelicissima, quam primum inter primas totius orbis dioceses foret numeranda!

Summa devotione atque pro his lectis gratitudine sum et manebo

EMINENTISSIME DOMINE

Ecclesiae Romanae filius obedientissimus, Dioceseos Harlemensis imbecillimus defensor, atque Eminentiae Vestrae famulus humillimus:

F. KOEKHOVEN.

